Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 673

Quelle:
Copyright:

non dissertatione continua pertextum, sed velut in ἀφορισμοῖς breviores sectum multa quidem de frequentatione S. Caenae, sed alia etiam, quae ad hoc Sacramentum et Missae Sacrificium spectant, complectitur. Initium ejus est: *Corpus christi manducare solum spiritualiter est per gratiam que alias dicitur res sacramenti, deo adherere, et in deum ire et vnum esse spiritum cum deo* &c. Ad *Utraquistas* Autorem spectasse, ex hoc opere solo certo erui vix potest, cum jam de solo Pane seu Corpore, jam de Pane et Vino seu Corpore et Sanguine simul loquatur; at vero Doctrinam ejus in quibusdam vacillasse, desumi potest ex *Lupacii* dictis in *Ephem.* ad 30. *Novemb.* et ex *Art.* L. Professionis Fidei M. *Joh. Przibrami* apud *Cochlaeum* in Append. ad *Hist. Hussit.* p. 540. ubi *Joh. Husso* conjungitur. Vide tamen, quae ad *Balbini Bohemiam doct.* P. II. p. 177. Editores ejus commentantur.

III. *fol.* 222. p. 2. *Epistola Dyonisij ad Timotheum Episcopum.* Incipit: *Saluto te diuinum discipulum et filium spiritualem veri patris et boni amatoris.* &c. Vide, quae de ea observantur ad *Cod.* DCLXII.

IV. *fol.* 226. Opusculum e PP. Dictis maxime compilatum pro Necessitate *Communionis sub utraque Specie*, cujus initium: *Quod non solum sacerdotes sed etiam layci fideles uel quicunque aliquando christiani deum timentes debent bibere sacramentaliter et spirituali-ter de calice precioſum sangwinem christi* &c. Ad calcem scriptum: *Hec magister Johannes Huss.* Sed non ego credulus illi. Novimus enim, *Hussum* literis ex ipso jam carcere *Constantiensi* ad *Jacobellum* datis ejus circa S. Caenam innovationi saltem sub principium non favisse. Et unde *Husso* in custodia constituto tam promtus PP. usus, qualem isthaec Tractatio paginis omnibus manifestat? Eam itaque rectius ad *Jacobellum* ipsum aut aliquem ejus συμμαχων referemus. Confer *Cod.* CCCCXL. et *Indicem.*

V. *fol.* 255. Sermo ejusdem Argumenti in illud: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem* &c. cujus initium: *Hec Johannis 6. sunt intitulata et dilectionibus vestris loco thematis prelibata.* &c. Ad calcem habitus dicitur: 1414. *In Ecclesia Sancti Michaelis.* At vero in hac Ecclesia *Jacobellus de Miza Oxonio* redux sacer Orator constitutus fuit.

VI. *fol.* 271. p. 2. *Narratio de Morte Joh. Hussi*, quae incipit: *Passio fidelis et christianissimi magistri nostri Johannis Hus. verbis succinctis summatim quantum memorie suppetit capacitatis fidelibus declaratur* &c. Binae ejusmodi Narrationes extant in *Opp. Joh. Hussi*, a quibus nihil abludit nostra, nisi quod referat, *Hussum*, dum ad supplicium procederet, cantasse: *Christi virgo dilectissima* &c. et eum, qui tragoediae praeerat, *Clem theutonicum* adpellet; Demum etiam in longam et ve-